



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



S. GREGORII
PAPÆ,
IN EZECHIELEM PROPHETAM
HOMILIARVM LIBER II.

PRÆFATIO.



U I A multis curis prementibus, Ezechielis Prophetæ librum coram charitate vestra totum per ordinem perferuari non licuit, bonis vestris desideriis placuit petere, ut saltem extrema ejus visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est: sed duo sunt, quæ hac in re perturbant animum meum. Unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis regitur, ut vix in ea aliquid intellectu inter lucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Longobardorum Regem ad obsidionem nostram summopere festinantem, Padum transisse cognovimus. Unde pensate, fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata. Quanto enim circa terrena plus satagit, tanto in his quæ sunt cælestia, minus videt: & pro eo quod curis suis extra se ducitur, valde intus minor est, quia sicut scriptum est: *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Quæ enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit; pensate quid agere poterit divisa. Scimus autem, scimus omnes, quia & fluvius qui in multis rivis dividitur, à suo alveo exsiccatur. Sed tamen inter hæc adest superna gratia. Et si mentem meam cogitationum mearum pondera deprimunt, vestrorum hanc pennæ desideriorum levant. Obscurum quidem valde est opus quod aggredimur; sed ponamus in animo, quia nocturnum iter agimus. Restat ergo, ut hoc palpando carpamus.

Sup. 12. &
Ep. 75. l. 4.

Sap. 9. d.



HOMILIA XIII.

Ezech. 11.

IN vigesimo & quinto anno transmigrations nostræ, in exordio anni, decima mensis, quatuordecimo anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc in visionibus Dei: adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum. Et introduxit me illuc: & ecce vir, cujus erat species quasi species aris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus. Stabat autem in porta, & locutus est ad me idem vir.



IN vigesimo & quinto anno transmigrations nostræ, in exordio anni, decima mensis, quatuordecimo anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc.] Dicitur mystica, narrationem historicam premitit, ut figat ex tempore, quod credatur ex revelatione. Notandum verò quod in exordio libri hujus, quo anno prophetare cæperit, indicavit: in fine verò inseruit, quo extremam visionem vidit, ita ut cognosci valeat in quot annis prophetiæ suæ librum duxerit. Tempus namque quo prophetare cæpit, in locutionis suæ initio posuit, dicens: *Asportati sunt caeli, & vidi visiones Domini in quinta mensis: ipse est annus quintus transmigrations regis Joachin.* Nunc verò loquitur, dicens: *[In vigesimo & quinto anno transmigrations nostræ.]* Idem namque Propheta in captivitate prima cum Joachin rege fuerat in Babyloniam transductus. Nam de secunda Hierosolymorum captivitate sub-

Ezech. 11.